

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,

S I S T E N S,

ULCERUM, CHRONI-  
CORUM, PATHOLO-  
GIAM MEDICAM,

QUAM,

UT GRADUM DOCTORIS IN UNIVERSITATE  
LITERARUM CAESAREA DORPATENSI LEGITIME  
ADIPISCATUR,

CONSENSU AMPLISSIMI IN HAC UNI-  
VERSITATE MEDICORUM ORDINIS,

LOCO CONSUETO,

PUBLICE DEFENDET

AUTOR,

*CAROLUS FRIDERICUS GROOT,*

RIGENSIS.

---

DORPATI,  
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXV.



**I n p r i m a t u r ,**

ea quidem sub conditione, ut, simulac dissertatio hæc typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quæ secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Idibus Maji MDCCCXV.

**Dr. Daniel Georgius Balk,**

Pathologia et Therapia Professor publicus  
ordinarius, a consiliis collegiorum etc.  
Censor.

D 16794

---

## *P r o e m i u m.*

*Disceptarunt longe lateque tum medici, tum chirurgi omnium temporum et gentium, an chirurgia ab arte medica, sic et morbi chirurgici a medicinalibus, certis discerni possint finibus, nec ne? Quam plerumque litem eo dirimerunt, ut ejusmodi fines non sint et utraque artis salutaris pars sibi invicem quam arctissime conjuncta reperiat. Unde factum est, ut in compendiis chirurgicis, vix uno alterove excepto, ullo sine ordine logico et nosologico, capita res mere chirurgicas absolventia cum capitibus mixta deprehendamus,*

quorum objecta non nisi argumenti sint absolute medici. Sic, ut exemplis dicta probemus, doctrinas de inflammationibus in genere, de erysipelate, de amaurosi, etc. etc. in omnibus compendiis veterum chirurgorum atque recentiorum allatas legimus, etsi sola sub pathologia et therapia medicinali jure evidenti militant. Forsan si quaereres, quo ex argumento his morborum formis locus in compendiis chirurgorum concessus sit? nescio, nisi tibi ea ratio arrideret, ut inflammationes interdum venae sectione, hirudinibus, aut incisione abscessus secundarii, egeant, quae ad operationes chirurgicas pertinent. Sed ratiocinio non absimili vulnera graviora, fracturae ossium, scirrhi et fere omnes morbi mere chirurgici ad carceres medicinae revocari possent, cum vix non semper praeter opem mechanicam, quae fasciis, machinis, cultro, forficibus, ferris, trepano etc. fertur, re-

*mediis sic dictis internis medenti opus sit. Tantas  
 lites ut tandem componere notionemque defini-  
 tam de eo, quod morbus sit chirurgicus, stabilire  
 audeamus, liceat sententiam Balkii, praecepto-  
 ris venerandi, hac de re in medium proferre,  
 quae nobis ob simplicitatem aequae ac claritatem  
 suam quam maxime est perspicua. Viro isto lau-  
 dato morbum chirurgicum ita definire non displicuit — „ut omnis corporis animalis vividi affec-  
 „tus hac sub cathegoria subsumatur, qui pro  
 „medela rationali AUT SOLA OPE MECHA-  
 „NICA, AUT MAJORI SALTEM PRO PARTE EA  
 „EGEAT.“ Hanc definitionem secuturi, extra  
 omnem dubitationis aleam positum esse nobis vi-  
 detur, chirurgiam certis finibus complecti et a  
 medicina distingui posse; quod de morbis etiam  
 chirurgicis apte valet. Praemissa haec in doctri-  
 nam de ulceribus collocare licebit, quam, cum*

*D*iffertatio nobis inauguralis conscribenda erat, objectum laboris nostri elegimus. *U*lcera acuta, quae in variolis, peste, febre pemphygode e. s. p. occurrunt, opem nunquam fere flagitare mechanicam, quis medicorum est, quin concedat. *E*adem fere ratione res se habet in ulceribus chronicis, quod in *D*iffertatione ipsa, ad quam progreditur, fusius erit demonstrandum.

---

---

## CAPUT I.

### Ulcerum chronicorum notio et divisio.

Quoad Synonimiam morbus, de quo agere decrevimus — ulcus, ulceratio, exulceratio, helcosis, Έλκος, Geschwür, Eiterstock, Eiterbeule, Fleischgeschwür — apud scriptores audit. Cum notione ulceris chronici trigam, ni fallimur, errorum conjungere hucusque moris fuit. Primo credebant, ulcus tale organon esse secretorium pathologicum, longa consuetudine naturae ita necessarium, ut ex ulceris medela possessoris vitae fere semper magnum inferatur periculum. Uleus organum esse secretorium pathologicum libenter concedimus; detrimenti vero e medela ejus apta et rationali

vitam capere posse, absolute negamus, cum modo, antequam cicarrisationem ulceris machineris, respectum cachexiae universalis diligenter et religiose habeas in medendi tua methodo; quinimo neglecto hoc respectu frustra neam fere semper operam in coadunando ulcere impendes. *Secundo* putabant, ulcus chronicum non esse, nisi morbus aut absolute, aut majori saltem pro parte, topicus externus, qui, qua talis, opem modo chirurgicam requirat et respectu medicinali neutiquam egeat. Quid ad refutandum errorem primum jam attulimus, in alterum hunc non minus apte quadrat. *Tertio* denique nulla dubitabant ratione, quin remedia unguinosa sufficerent, ut mixtio materiei formarum solidarum abnormis in normalem verteretur atque processus reproductionis exciteretur, praecipue si prius excitantibus acrioribus uterentur, quorum vi finibus vasorum pathologice secernentium destructionem parare putabant. Ut uno verbo dicam: phaenomena hujus morbi ejusque effectus cum causis commutata esse, patebit.

### §. 2.

Cum definitio ulceris et ratio, qua istud morborum genus tum ab abscessu, tum a vulnere pus colligente differat, ex enchiridiis chirurgicis sat superque constat, harum notionem jure silentio esse praetereundam mihi videtur. Hoc modo adtulisse juvabit, ulceris caracte-

rempathognomicum in genesi constanti ichoris saniosi, male mixti, et plus minusve corroden-  
 tis esse positum, quem vasa destructa et irritabi-  
 litate abnormi foedata plorant. In vulneribus  
 ichorosa talis secretio modo transeunter occur-  
 rit, si cachexia universali, aut frigore humido  
 vulnus accedente, aut contusione valida prae-  
 gressa, aut senectute proveciori, aut pathema-  
 tibus deprimentibus, aut stimulo morbofo pe-  
 culiari ad vulnus deposito, aut iniqua victus  
 ratione, aut ex alia qualicunque causa partes  
 vulneratae mirum in modum debilitatae sint.  
 Dolemus hoc loco, ut experientia nostra con-  
 tra assertionem Cl. Hornii (a) repugnet, qui  
 contendit: „Umgekehrt lässt sich wohl ein Ge-  
 „schwür denken, welches wahren Eiter giebt  
 „wenigstens geht jedes Geschwür vor  
 „seiner völligen Heilung in den Zu-  
 „stand einer eiternden Wunde über.“  
 Hoc modo de ulceribus recentibus, quasi hy-  
 persthenicis, et cum motibus febrilibus con-  
 comitatis valet. In ulceribus chronicis prae-  
 cipue inveteratis pus laudabile, nec in stadio  
 sanationis, vix unquam observatur. In §. se-  
 quenti vir laudatus sibi ipsi contradicit. Tem-  
 pus, per quod ulcus durat, sic ut ejus cir-  
 cuitus s. magnitudo et phaenomena mere  
 sunt accidentalia. Inter essentialia vero mar-

(a) Handbuch der medicin. Chirurg. Berlin 1804. 1<sup>er</sup>  
 Theil. §. 432.

gines prominentes, fundus luridus, impurus, collapsus, granulatione pallida, subcoerulea, squammosa obtectus, canales fistulosi, dolores denique lacerantes in regionibus proxime adjacentibus numeranda sunt, quae plerumque totum ulceris decursum comitantur.

§. 3.

Sententia illa, a vero prorsus aliena — ulcus e longo tempore iam ortum, organon esse secretorium pathologicum, quo natura e lege consuetudinis ad sanitatem relativam quam maxime egeat quodque sine graviore vitae periculo non temere coadunandum sit, nisi forsan in parte vicina fonticulum poneret — sententia haec, pathologiae humoralis insipidissimae proles, opinionem habeto praejudicatam, e qua praxis medica cum aegrotantium salute plus detrimenti capiunt, quam quovis alio ex errore, in quo ars machaonica versatur. Jactura enim perpetua materiei organicae, dolores constantes, necessaria membri affecti in una eademque situatione perseveratio e. s. p. debilitatem directam et indirectam non modo topicam, sed universalem etiam inducunt. Nulla quidem ratione negare cupimus, quin ulcera inveterata imprudenter sanata interdum morbi consecutivi gravioresecuti sint. Hi vero non sanationi ipsi, sed perversae potius medendi methodo ortum debent. Vera enim morborum consecutivorum causa quam

plurimum in eo viget, ut medicus statum morbosum totius organismi unacum adfectione topica locum habentem justo minus respexerit, aut si ejus etiam habuerit rationem, selectus medicaminum accusandus fuerit, quoniam plerumque remediis uteretur insipidis et inefficacibus, queis virtutem, uti dicunt, sanguinem purificantem inesse delirabat, cum e contrario potius methodum excitantem, leniter roborante et restaurante nuptam, rei natura prae aliis exigeret.

#### §. 4.

Opinio illa absurda, etsi antiquitate munita, ut ulcerum dijudicatio cum medela puro solum Chirurgo competat, impedimentum hucusque maximum inferebat, in theoria helcologiae rationali condenda. Quo factum est, ut res haec semper modo methodo mere mechanica tractata, respectum rationalem pathologiae medicae hodiernae prorsus respueret. Cujus pathologiae ad tribunal doctrina de ulceribus meliori consilio utique erit trahenda, quod argumenta sequentia, ni fallimur demonstrant.

- 1) Ulcera chronica saepe saepius effectus secundarii cachexiae habenda sunt praegressae, totum organismum infestantis, et cachexiam hanc tum disquisitio medentis pathologica, tum methodus ipsa medendi po-

tissimum respiciat necesse est, si rationalis nomine frui cuperet.

- 2) Ponamus etiam, ulcus esse morbum mere topicum, tamen perduratio ejus saepissime, ut non semper dicam, a conditionibus pendet, quae procul a sede ulceris fixo in internis organismi partibus scatent.
- 3) Quinimo ulcera, quae primo ortu morbum utique localem constituunt, in decursu suo secundum leges pathogeniae notas in adfectus corporis universales fere semper transeunt.

#### §. 5.

Inpedimentum alterum in eo positum est, ut medicis placuerit, divisionem ulcerum nosologicam nimis anxie multiplicare atque non momentis in praxi utilibus, sed potius fundamentis superstruere, tum e forma mere accidentali externa (e. g. divisio in ulcera pedum, cutanea, fistulosa etc.), tum e nosologia methodica pro lubitu constructa (v. g. in ulcera scorbutica, scrophulosa, biliosa etc.) defumtis. Cl. Bell quidem (b) primus in scenam prodit, qui ingeniose ulcera secundum divisionem generalem in absolute topica, ut et in talia dispescit, quae morbo praegresso universali

(b) Abhandl. von den Geschwüren und deren Behandlung. Leipzig 1779.

nascuntur; mox vero jure accusandus est, cum, nimis arbitrarie et leges logices omnino spernens, ulcera topica iterum in octo genera dilabi jubet, quae nimirum subdivisio nec differentiis essentialibus, nec utilitate practica nititur. Ulcera denique e morbo praegresso orta in venerea modo, scorbutica et scrophulosa distribuit. Cl. Mezger (c) sex condidit classes, quae in genera numerosa dilabuntur. Denique Cl. Weber (d), ne ingentem scriptorum catalogum iactabundi coarcervemus, quatuordecim classes stabilivit, quas in ordines et genera vix numerabilia distribuit. Divisiones autem hujusmodi infinitae medicum tironem magis perturbant atque dubium haesitantemque reddunt, quam ut ea ratione edoceatur.

### §. 6.

Scopo suo magis respondens et praxi medicae accommodata divisio sequens nobis esse videtur, quippe quae praeterea simplicitatis praeferebatia gaudet.

1) Ulcus adest morbus absolute localis, a nullo alio pendens, cum nullo relatione causali conjunctus. Casus iste rarior accidit. Saltem rarissime per longum temporis spatium durat, cum totus or-

(c) Mezger respond. Löwinthal, Specimen Helcologiae aetiolog. Regiomont. 1791.

(d) Allgemein. Helkologie. Berlin 1792.

ganismus sat cito in consensum trahatur. Sub his modo conditionibus ulcus tanquam morbus localis plures per hebdomades, imo per menses perseverare potest: si sedes ejus in parte reperitur, quae, admodum exigua irritabilitatis ac sensibilitatis gradu stipatus, nullius aut vix memorabilis est momenti in reliquis corporis functiones, easque nobiliores (e. g. Ulcera unguium, corneae); si sanies in ulcere parata mitis, aquoso mucilaginosa fit, copiaque parva secernitur; si temperamento phlegmatico aeger praecellat, victu simplici utatur, aut valetudine fruatur herculea; si denique ulcus e perquam levi causa externa, modo in superficiem agente ortum fit.

2) Ulcus cum adfectione totius organismi conjunctum est. Tres adsunt relationes inter ulcus atque morbum, ejus comitem, quae classem nostram, de qua loquimur totidem in subdivisiones dispartuntur.

a) Morbus universalis causa est ulceris. Morbus infestans totum organismum praecedat necesse est, et modo cum iste per temporis spatium aut manifeste furuit, aut clandestine medicumque decipiens serpuit, tunc primum prima ulceris phaenomena apparent, quae accrescente morbo materno accrescunt, non vero semper decrescente illo statim minuuntur, cum potius ulcus, morbus localis adhuc remanens, tunc plane evanescit, si re-

mediis topicis aptis utamur. Tantum vero abest, ut morbus ille primarius ulcus gignens semper sit morbus jam perfecte evolutus et universalis, ut potius quaevis organorum et functionum nobiliorum conditio abnormis talem producere effectum valeat. Prae omnibus vero organorum reproductionis conditionem aviam genetricem ulcerum chronicorum foecundam habeto. Ulcus hoc e fonte redundans nunc aut praevio impetu potentiarum nocentium externarum, aut absque ullo ejusmodi causa occasionali oritur. Rebus ita comparatis morbus iste externus interni proles esse atque cum isto unam eandemque naturam sibi fervare videtur, quae tantum parti prae aliis topice adfectae majorem abnormitatis gradum inducit. Pars ulcerum chronicorum maxima, potissimum quae extremitates obsident, hac sub cathegoria subsumi potest.

b) Ulcus chronicum causa est morbi universalis. Rationes, viae et leges, quae transitum morbi topici in universalem fat evidenter explicant, in medium proferre a re nostra alienum non fore putavimus. Saniem in ulcere parata, pro parte vasis lymphaticis absorpta, systemati vasorum sanguiferorum advehitur, sanguinis (e quo omnes partes solidae nutriuntur humoresque alii secernuntur) mixtionem normalem in abnormem mutat et cachexiam cum subsequente debilitate neces-

farie procreat. Qua ex causa, docente experientia, cachexia haec consecutiva nulla ratione certius impeditur aut gradu saltem minuitur, quam ut repetita et lege artis instituta ulceris deligatione ejusque mundatione apta, nec non situ partis laesae conveniente, collectionem saniei majorem avertas, effluxum promoveas et resorptionem domes. Ulcera parva igitur hanc ob causam cachexiam universalem aegre modo adducunt, si fistulosa excipere tibi placeret, cum ea e contrario, quae majori ambitu circumscribuntur, tot superficiei puncta resorptioni offerunt; ut omnem avertere ars sagacissima et quam maxime circumspecta nunquam valeat. Quo divitior igitur pars: cui ulcus insidet, vasis sit lymphaticis, eo citior et gradu major cachexia universalis absorptionis materiae morbosae erit pedissequa. Sic etiam a gradu corruptionis saniei gradus etiam cachexiae debilitantis et acceleratus ejus dependet ortus. Magnitudo non minus continuasque doloris, quem ulcus ciet, ad promovendam cachexiam confert, quae eo validior et citior incedit, quo magis ulcus in partibus sedem sibi fixit, quae nervis abundant, teneris laxaeve sunt structurae, aut functionibus ad vitam quam maxime necessariis funguntur. En rationem, qua pulmones ulceratae cachexiam universalem fere insanabilem cum febre rapide consumente adducunt. Denique

debilis et labefactata corporis constitutio, senio, victus depravatus, vapidus et parcus, temperas humido-frigida, eadem aëris in cubiculo aut alia ejusdem prava conditio, pathemata deprimentia e. s. c. cachexiae secundariae ortui ansam praebent.

c) Ulcus et affectus organismi universi uno eodemque tempore adparent. Cujus rei duplex est conditio. Ulcus enim relatione causali cum morbo universali conjunctum est, nec ne. Relationem harum prior e magnitudine ambitus ulceris et copiosiori saniei secretionem, e sede morbi topici in organo nervis vasisque locuplete, e nimis receptoria partium facultate, e stimulo sive incitamento morbigeno peculiari totum corpus infestante atque perquam efficaci nascitur; sic et praecipue ea sub ratione adparet, cum morbo universali coetaneo processus reproductionis corripitur. Quae si desint conditiones et potentiae nocentes in unam modo eamque parvam, nec non consensu suo memorabilem organismi partem hostiliter machinentur, irritabilitatemque ejus cum mixtione organica, ceteris organis intactis laedant; tunc morbum inter universalem et ulcus nexus non est causalis amboque solo casu uno eodemque tempore personam vexant eandem. Sic ulcera foeda, scrotum potissimum obsidentia e fuligine carbonum fossilium corrodeute orta,

quae Anglis Sibbens vocare mos est, per totum fere decursum morbi topici characterem ferunt, neque, nisi casu fortuito, morbem habent alium comitem. Sic Cl. Balk, praeceptor venerandus, ulcera scabiosa cum phthisi pituitosa conjuncta observavit, quarum unaquaeque aegritudinum suam sibi servavit decursum, propriam exegit medendi methodum, ita ut, quae phthisi medebantur, morbum topicum nulla mutarent ratione et vice versa. Idem vir laudatus virum sexagenarium vidit, qui per duodecim et quod excurrit annos ulcere cacoëthe in fronte erat maculatus, quod palmae magnitudinem aequabat; aegrotus iste per totum ulceris decursum quoad omnes functiones optima fruebatur valetudine, omnibus par erat laboribus, qui roborem muscularem exigunt et nec minimum coloris cachectici vestigium prae se ferebat. Ulcus ipse modo remediis topicis sanatum, nullam postea sanitatis perturbationem habuit sequelam.

## CAPUT II.

### Ulcerum chronicorum evolutio, decursus, exitus.

#### §. 7.

Tantum abest, ut nobis persuasum sit, primum ulceris geneseos impetum e causa fere

semper externa topice in partem superficiei corporis inimice irruentem esse petendum, ut potius experientia duce pro certo sciamus, quod longe saepius ulcera chronica e labe interna nascantur et vasa subcutanea munere secretionis pathologicae jam fungantur, antequam cutis corrodatur et helcoseos forma sensibus appareat. Prodromos saepissime evolutionem ulceris propinquam indicantes in medium nunc proferre, instituti nostri ratio exposcit. Multo reliquorum frequentius inflammatio erysipelatoza, plus minusve certis circumscripta finibus, pallida, aut laete rubra, ulcerationis instantis est nuntia. Interdum bullae vesiculaeve in ambitu ejus nascuntur, quae sero acri turgidae integumenta communia cutanea corrodunt, aut rumpuntur et sic nudatam et secernentem superficiem pathologicam offerunt. Quam morbi nostri originem potissimum in ulceribus mammarum et extremitatum inferiorum contueri licebit. Neque minus saepe papulae, noduli, pustulae, vesiculaeve mirum in modum prurientes erumpunt, quae aut ad scalpendum invitantes, aut vestimentorum contactu contritae epidermidem cum cute destruunt et ulcera parant. Ad hoc morborum cutaneorum genus istud ante aliis ducendum erit, quod vernacula „den Salzfluss“ dicunt. Ulcerationes non minus herpeticas, pforicas e. s. p. jure huc referentur, sic et illae,

quae in proveciori hydropum stadio nascuntur. Quodsi vero helcosis in partibus ossi quodam immediate superimpositis sedem sibi figere vellet, tunc dolor plerumque non levis, semper vero topicus, qui ossi ipso aut perioestio insidere videtur et non raro cum intumescencia loci affecti tamen vix decoloris conjunctus est, illam praecedere solet. Denique etiam superficiei decoloratio fusca, livida, purpureocoeerulea, nigrescens, cretaceave inter prodromos evolutionis ulcerum non erit omittenda. Color iste avius potissimum helcoses gangraenosas, malignas, cariosas, paedarthrocacen, spinamque ventosam nuntiat et non longe ante deco-  
riationem cutis apparet.

### §. 8.

Primo ortu ulcera perquam raro magnum sibi ambitum vindicant, humores mixtione chemica non valde abnormes (exceptis nonnullis generibus) stillant, fundo parum impuro et a colore structuraque normali non admodum avio, paulisper tamen ut plurimum asthenice inflammato apparent, pruritus denique aut dolorem modicum tantum cient. Mox vero sanie corrodentiore facta integumenta cautea, quin telam cellularem cum musculis magis magisque depascunt; pruritus doloresve vix tolerabiles excitant; secretionem perquam copiosam cient; inflammationem asthenicam nutriunt et augent; margines reddunt tumidos,

inaequales, squammoso-crustaceos, \*) fungos callososve; canales sibi parant profundas, longas, ad directiones diversas serpentes, absconditas; odorem spargunt varii generis ingratum; fundum lymphæ correpta, mucosæ, filamentis vasorum destructorum et telæ cellularis corrosæ sordidum, squammosum, sanguinem facile emittentem, excrescentiis verrucosis aut squammosis obiectum offerunt; partes proxime adjacentes suffodiunt, in colles attollunt inaequales, nutantes, aut quasi cartilagineos et decolores; nervos, tendines, quin ossa ipsa corrodunt; cachexiam universalem, febrem hecticam, sphacelum adducunt. Sunt genera nonnulla, quæ statim ab initio vim suam destruentem mirum in modum exercent, celeritate vix credibili longe lateque distribuuntur et paucis iam diebus, saltemve hebdomadibus, per immensas fere corporis plagas partes omnes solidas disturbant. Alia e contrario animadvertuntur ulcera, quæ intra mensis spatium vix minimam mutationem sensibus adprehensibilem edunt, humorem aquoso-mucoso-gelatinosum parva quantitate emittunt, fundo laxo, squammoso, pallido, marginibus eodem modo comparatis et partium adjacentium temperie imminuta tonoque laxato plerumque sunt

\*) Cl. Balk margines crusta flavo fusca quotidie se regentes in subjectis scrophalosis, herpetique obnoxiiis sæpius observavit, etsi sub quavis deligatione demerentur.

insignia. Silentio premere non possumus, ut in subjectis valde athenicis atque cacochymicis vulnera per saepe pura atque abscessus fatigato in ulcera chronica, foedissima pertinacissima mutentur. Interdum, vermes, larvae, insecta in ulceribus sunt reperta, cujus culpam neglecta semper sustinet deligatio. Nonnullis in ulceribus gas hydrogenum, hydrogenosulphuratum, aut hydronthioicum gignitur, docentibus odore, quem tales helcoses spargunt, sic et reagentibus chemicis; in aliis humorem, quem secernunt, acidulum reperimus. Casum perquam memorabilem Frankius (e) narrat de ulcere fronti insidente, quod quavis periodo catameniali recrudescibat.

### §. 9.

Ulcera haec, pro varia conditione et decursu, variis etiam a scriptoribus nuncupata sunt nominibus. Quamvis vero haec non a differentiis essentialibus et ad therapiam rationalem facientibus, sed arbitrarie modo et a notis mere accidentalibus deprompta sint juvabit tamen et lectoribus forsitan non injucundum erit, ut praecipua illorum singulatim huc recenseamus. Quae sunt sequentia: Ulcus ambulativum, cachecticum, cacoëthes, cancrosum, cariosum, callosum, chloroticum, catarrhosum, chironium, chronicum, contagiosum, contumax, corrodens, depascens, dysepuleticum, esthio-

(e) De curand. homin. morb. Lib. IV. pag. 90.

menum, extremitatum, fistulosum, fungosum, herpeticum, hydropicum, lupus, lymphaticum, malignum, malum mortuum, mercuriale, noli me tangere, noma, oedematofum ozaena, pertinax, phagedaenum, phlegmaticum, pforicum, putridum, rheumaticum, faniosum, scorbuticum, scrophulosum, sinuosum, fordidum, sphacelosum, telephium, variolosum, varicosum, venereum, verminosum etc.

§. 10.

Mutationes pathologicae, quae in decursu ulcerum non in parte solum topice adfecta, sed in toto etiam organismo accidunt, nulla ratione, uti Clo. Bell (f) videtur, e sola ichoris secreti et excreti quantitate, qualitate ejus omnino sprete, sunt derivanda. Nobis e contrario evidenter elucescit, et qualitatem humoris pathologicae parati in re ista rite et feliciter dijudicanda, maximi esse momenti. Cum enim, uti jam supra monuimus (§. 6. b.), pars hujus ichoris a vasis lymphaticis absorpta, massae sanguinis totum corpus transeuntis advehitur; cum porro, uti quoque iam memoravimus (§. 8. in fine), materiae gasiformes diversissimae naturae in ulceribus evolvuntur, quarum unaquaeque altera ratione mixtionem solidarum fluidarumque normalem vitiat, nullo amplius argumento eget, ad qualitatem ichoris secreti

(f) l. c. pag. 93.

non minus ac ad quantitatem ejus esse respiciendum. Hanc circa qualitatem cardo versatur causae, e qua ulcus hoc per mensium spatium nec ipsum mutatur, nec deprehensibiles in valetudine totius corporis vicissitudines ciere valet; cum aliud per brevem iam tempore omnes laedit functiones et ingentes vitae facit insidias.

§. II.

Sedes helicoseos cujusvis in tela cellulosa solum est quaerenda, e qua omnia organa solida, teste maceratione anatomica, sunt contexta, quae strages fibrarum musculos constituentium non modo inter se, sed musculos etiam cum omnibus partibus adjacentibus connectit et omni jure vinculum partium universum vocatur. Cum vero in tela hac cellulosa vapor modo tenuis effunditur, qui in formam stillatiliam abiens humorem aquosum constituit; cum porro vasa vaporem hunc exhalantia adferosorum ordinem pertinent, lymphae plasticae atque materiae fibrosae paucillum modo continentia; cum denique vis vitalis parietum vasorum in omnibus ulceribus chronicis valde debilitata deprehenditur, justus autem parietum tonus auctaque eorum vis conditio necessaria est, qua sine iusta seu normalis lymphae plasticae materiaeque fibrosae quantitas in sanguine parari haud possit: facile intelligitur, quo fit, ut ulcera chronica non pus consistentiae densioris (laudabile istud vocare chirurgis mos est) sed ichorem modo aquosum scenerent.

Pus enim eam ob causam densiori consistentia gaudet, quoniam particulis lymphae plasticae materieiue fibrosae impraegnatum est.

§. 12.

Ulcus sanationi sensim sibi sensimque approximans, phaenomena offert sequentia. Saniei hucusque paratae diminuitur quantitas, qualitate vero mitior illa et paululum fit densior, quo facto pruritus aut dolores minuuntur et tandem omnino evanescent. Fundus a sordibus, quibus fuit obiectus, in dies liberatur, laete ruber minusque evadit squamosus, et si antea subsederit atque cavum profundum formaverit, papillis nunc carnis bonae notae ac consistentiae impletur. Cavium fistuliformium, qui forte aderant, parietes conglutinantur. Margines elevati collabuntur, squamosi roborem consuetum induunt, epidermide rursus tegi incipiunt, quae regenerata membranae albae et tenuis sub specie ab externo ulceris ambitu ad centrum ejus propagatur et plerumque, ubi regerminat, forma paululum acuminata progreditur. Partibus circum jacentibus color, tonus, temperies normalis redit. Totus denique organismus quolibet respectu melius se habere incipit. Interdum vero caro recens, quae cavum morbosum implet, marginem superat, quam tunc luxuriantem vocant. Causam phaenomeni hujus non nisi in eo quaerendam esse scimus, quod materiae ad reproductionem ne-

cessaria majori, ac justum est, copia advehatur, haud probe mixta sit et nisus formativus debilitate irritabili maculatus, roboris necessarii gradu e contrario autem privatus appareat. Quam ob causam caro luxurians squamositatis semper notam fert. Nonnullis etiam in casibus caro luxurians defectum integumentorum cutaneorum causam suam agnoscat nobis videtur, cum integumenta deficientia reproductioni excedenti fines ponere nequeant.

### §. 13.

Natura, quae in morbis acutis non morbo solum ipso, sed auxiliis medicorum perverfis medendo quam plurimum par est, etiam si aegritudinibus in chronicis languere solet, tamen interdum opem fert insignem atque sensibus patentem. Mutationes hasce abscondita quidem ratione et ita lente parat, ut antea nil adspiciatur, donec machinationem feliciter iam peractam phaenomena sensibus apprehensibilia testantur. Motus, quibus inter omnes frequentissime utitur, salutare singulatim nunc proferre, objecti nostri ratio postulat. Mox inflammationem aut incitationem saltem adauctam in partibus ulceri circumjectis promovet, cujus ope nisus formativus efficacior factus humorem corrigi secretum antea quasi causticum, novamque substantiae perditae regenerationem resuscitat. Tonus harum partium accrescens, temperies adaucta, marginum et fundi color

laetior ruber, imminuta quin omnino cohibita saniei secretio, denique inflammatio partium adjacentium accedens, hoc mirabile naturae artificium demonstrant. Altera vice dejectiones excitat alvinas, faeces piceas, foetidas, acres, atrave bile maculatas ejicientes. Altera vice fluxum haemorrhoidalem non sine exoptate mutata ulceris conditione illum sequente promovet. Altera iterum lotii jumentosi, ammonium redolentis, fabulosi, purulenti, nigricantis excretionem rem absolvit. Neque minus sudores foetidi, pruritus fere intolerabilem cientes, pingues — exanthemata varia urentia — eruptiones herpeticas, scabiosas, crustaceas, squamosas, quae aliis in regionibus remotis efflorescunt — crurum munere funguntur. Rarior febris interveniens, aut morbus inopinate adortus alius nodum feliciter solvunt. Denique, quod omnium frequentissime fieri solet, cachexia quaedam singulari sensim et sic, ut animadverti vix possit, correctae, medicatrix omnipotens morbum unacum universali topico uno aufert eodemque tempore. Cum vero regio, cui ulcus insedit semper debilitata remanet, non est quod miraberis, causam jam levissimam denuo impetum suum nocivum exercentem malo vix devicto iterum ansam praebere. Non minus incitamenta alia morbigena hunc ad locum perquam facile diriguntur.

## §. 14.

Cum vero nec natura, nec ars magnitudinem mali eluctari nequeunt et spes nulla amplius salutis affulget, tunc morbus plerumque pede veloci ad exitum aegroti ruit. Magis enim magisque calor innatus partibus in adjacentibus exstinguitur; canales fodiuntur fistulosi profunde et ad directiones omnes serpentes; tela omnis cellulosa partes correptas jungens, consumitur aut maceratur; macerantur et decolorantur nervi, muscoli, tendinesque in ambitu ulceris latentes, vis eorum vitalis perit, destructioni sphacelosa locum cedens; copia ingens ichoris aquosi, foetidi, sanguinei, maximo mixtionis abnormis gradu insignis effunditur; interdum haemorrhagiae enormes aut diarrhoeae colliquativae superveniunt: quibus omnibus vis vitalis maximum in modum labefactatur et mors inevitabilis scenam claudit. Sin vero nec haemorrhagiae, nec dejectiones alvinae, nec ingens ichoris profluvium materiam organicam mirum in modum detraherent et omnia tamen phaenomena testantur, ut boni aliquid nulla amplius ratione sit sperandum, tunc plerumque, imminuta ichoris excretionem, febris incenditur hectica, quae paucas post hebdomades, quin citius saepe, aegrotum jugulat. Quodnam vero exitus infausti genus misero destinatum sit, mors tamen nullo sub tumultu phaenomenove atroci incedit, et aeger

spiritum ultimum tam placide reddit, ac si obdormisceret. Tunc modo res aliter se habet, si metastasi infausta secretio, quae hucusque in ulcere locum habuit pathologica subito cessaret, novam sibi sedem in cerebro, pulmonibus, visceribusve abdominalibus parans. Hoc enim in casu, qui rarissime tamen accidere solet, symptomata atrociora, pro varietate sedis novae etiam varia, mortem antecedunt.

### CAPUT III.

## Ulcerum chronicorum aetio- logia.

#### §. 15.

Causa cujuscunque ulceris proxima, non est nisi debilitas vasorum irritabilis, quae aut topice modo oritur, aut systema vasorum universum inquinando processum vegetativum tali ratione abnormem reddit, ut pars humorum organicorum acedines involvens crasique eorum justam constituens, gluten puto animale, destruat atque humores illi in materiam chemice quasi corrodentem abeant. Vis igitur vasorum vitalis laesactata, cum nisu formativo insigniter impedito et materia nutriente mixta, characteres condunt constantes et essentielles, quibus ulcus ab abscessu et vulnere probe suppurante distinguitur. Sola processus

reproductivi languescencia, aut debilitate, abscessus talis in ulcus transit. Denique inde sequitur ut ulceri qualicumque, cum modo chronice decurrit, nota astheniae infideat.

§. 16.

Catalogum causarum occasionalium et remotarum generalium, quoad agendi modum consideratarum, in quatuor apte classes dispescimus. *Mechanice* enim, aut *chemice*, aut *vitalitatem immediate laedendo*, aut *psychice* denique *machinantur*. Quas singulatim nunc fusius perlustrare decrevimus.

1) *Causae mechanice* ad ulcerum pathogeniam facientes. Huc pertinent: percussio; ictus; lapsus; contusio; compressio fortis et permanens nervorum et vasorum (tali ratione ligatura nimis constringens periscelidum et fasciarum chirurgicarum, turundae tumentes, quae vernacula „*Quellmeissel*“ vocantur, cylindri e linteis carptis contorti, ob magnitudinem nimiam et conditionem suam duram vulnera, quibus adplicantur, justo magis dilatantes et prementes ad genesis ulcerum conferunt); scirrho; exostoses majores; nodi sic dicti *athritici*; quae stus, qui necessitatem semper aut saltem diu standi involvit, sic ut consuetudo, sedendi cum thorace protinus inclinato, quo situ partes in cavo abdominali posita comprimuntur (qui corporis situs iniqui

ratione mere mechanica congestionibus humorum adextremitates inferiores et expansioni abnormi parietum vasorum, qua tonus illorum valde imminuitur, ansam praebent; corpora peregrina extrinsecus penetrantia, aut in ipso organismo genita; filamentarum lanariarum, materiarum aliarumve irritantium contactus continuus (sic tectores panni, lanifici lanamque pectinantes ulceribus scabiosis potissimum sunt obnoxii); e. s. porro.

2) *Causae chemice* genesin ulcerum promoventes. Aqua fortis; acidum salis; acidum sulphuricum; lixivium acerrimum, aliaque ejusmodi fluida, quae artificibus opificibusque contactu frequentiori ulcera saepius eaque pertinacia inducunt. Ratione non abfimili succus recens plantarum, quae *Rhus toxicodendron* et *Rhus radicans* vocantur, sic et puls seminis sinapeos aut radicis armoraciae in cutem perquam tenerem atque sensibilem adplicata agunt. Fuliginis carbonum fossilium, quae rugis scroti purgatorum caminorum inhaeret atque ulcera foeda gignit, supra mentionem iam fecimus. Non minus causa ulcerum pertinacissimorum per longum tempus ignota in ossibus subjacentibus cariosis aut alia ratione correptis scatet. Ulceribus denique aliis effluxus sempiternus humoris macerantis aut corrodentis impedimentum sanationis adest, ut in helcosi fistulosa salivali, urinaria, biliaria.

c) *Causae, quae vitalitatem laedendo agunt.* Qua sub cathegoria sequentes potissimum erunt subsumendae: frigus aut udor protracte in corpus ejusve partes singulas agens (uti in foeminis lavando operam praestantibus atque cerdonibus alutariis saepius fieri solet); abusus mercurii; functiones organorum excernentium aut omnino cohibitae, aut saltem imminutae (e quibus praesertim cutis peripherica, pulmones et organa uropoëia sunt respicienda, quorum videlicet inertia materiae tum subtilissimae, tum acerrimae retinentur); mundities corporis majorem in modum neglecta; usus fuci; abusus unguentorum et emplastrorum cutis spiracula obstruentium; morborum cutaneorum chronicorum suppressio temeraria \*); refrigerium topicum; inflammationes aethenicae locales, quas inter rheumatismus, arthritis erysipelasque primum sibi locum vindicant; contagia nonnulla cum cachexiis, v. g. vario- lae, morbilli, exanthema scarlatinofum; lues

\*) Sed omni etiam absque suppressione morbi quidam cutanei chronici saepius in ulcerationes abeunt, cujus rei exempla Herpes, lepra, morbusque incolis Norvegiae endemus, quem *Radesyge* vocamus, foenerant. Suppressiones aliae huc, ni fallimur, adduci nequeunt; cum suppressiones perquam certe raro relationem cum ulcere causalem ineunt, sed ambo potius causam tertiam (debilitatem aut sanguinis inopiam) causam communem agnoscunt.

venerea, scrophulae, scorbutus, contagium pestis, insectorum serpentumque nonnullorum morsus; adustiones, quae tamen non, nisi in subjectis valde cacochymicis, ulcera chronica parant; viscerum abdominalium indurationes aut infarctus, qui ad helcoses extremitatum inferiorum provocandas experientia ducere praeter aliis causis opportuniore reperuntur; ingestio ciborum immodica; usus immodicus et quasi exclusivus alimentorum valde salitorum, pinguium, corruptorum, e regno solum animalium, praesertim e classe piscium desumptorum, vapidorum et omni stimulo necessario carentium; abusus potuum spirituosorum calidorumve; motus ad valetudinem servandam necessarii neglectio; senium valde proventus; graviditas, quae circulum sanguinis liberum impediendo ad morbum nostrum facit et ulcera frequentissime pedum gignit, varicibus circumjacentibus insignia, sic ut sexus sequior altero magis malo huic obnoxius esse videtur; domicilium humidum et humile correpto insuper aere semper impletum; victus denique inopia.

d) *Causae psychice agentes.* Huc ira saepius excitata, imprimis vero retenta, invidia, terror, metus, angor, sollicitudo, moeror aliaque pathemata deprimentia diuturnia referri debent.

chexiae oriuntur cum debilitate virium vitalium, seu aethenia universalis.

3) **Victus non conveniens.** Huc cibi potissimum referri merentur vapidi, glutine animali et vegetabili fere omnino carentes, aut ciborum detrectatio; potus vapidi, insipidi et omni stimulo expertes, male fermentati, correpti. Quibus omnibus iusta sanguinis aliorumque humorum mixtio et consistentia vitatur, gluten animale, lympa plastica materisque fibrosa minuuntur et humores redduntur nimis aquei, acres; et tali conditione tantum nunc abest, ut partibus solidis cum nutritione sana vires et roborem advehant, ut potius omnes corporis actiones pervertant et debilitent.

4) **Aër impurus, oxygenio non dives.** Oxygenium, cum e forma subtilissima gasis, qua aëre inhaerebat, sanguini pulmonali admistus densiorem induit, caloricum dimittit liberum. Aër oxygenii inops caloricum hoc organis foenerare nequit. Quae inopiae calorigi sequuntur vitia paragrapho hoc (conf. No. 2.) iam demonstravimus.

5) **Dolor continuus et validus in ulcere faeviens.** Furore ejus arcetur somnus, qui ad virium restaurationem, partium nutritionem, mixtionemque humorum normalem valde est necessarius. Debilitas e contra-

rio inde oritur universalis, quam propensio ad cachexias semper pede celeri sequitur.

6) Copia insignis vasorum abforbentium, vel in cavo ulcerato ipso, vel in partibus vicinis disperforum. (Conf §. 6. b.)

7) Praedispositio seu propensio ad cachexiam. Nulla corporis conditione haec magis secundatur atque promovetur, languente processu vegetativo nisque formativi vigore imminuto.

8) Senium proVectius et infantia teneris. Utrique character debilitatis universalis est proprius. Cl. Richter (g) causam aliam singularem accusavit, nimirum — secretionem lotii imminutam.

#### §. 21.

Ulcera quaedam sunt contagiosa, quo pertinent scabiosa, nonnulla herpeticæ naturæ, sphacelosa, leprosa vera, nec non cl. Balk ulcera pemphigosa et carcinomatosa contactu longiori sanis communicata observavit. Legi merentur, quæ hac de re in Actis Hafniensibus (h) existant. Neque minus descriptio Severini (i) de abscessu pestilentiali epi-

(g) Anfangsgründe der Wundarzneik. 2. Aufl. 1r. Bd. §. 699.

(h) Volum. V. Observat. 44.

(i) De recondit. abscessuum natura. Libr. VIII. Edit. secund. Francof. ad Moen. 1643. pag. 431. sq.

demico ad ulcera contagiosa pertinet. Ulcera venerea secundaria certo certius contactu non communicantur. Ulceris conati mentionem fecit Salmuth (k).

### §. 22.

Facies morborum universalium uno eodemque tempore cum ulcere adparentium saepissime mutatur et in aliam aegritudinis formam, quin speciem singularem abit, ulcere ipso nec forma, nec natura sua, neque ulla alia conditione mutato. Hoc non in talibus solum ulceribus fit, quibus nullum est cum morbo universalis commercium, sed in his etiam observatur, quae ullo sine dubio cum valetudine adversa totum corpus infestante vinculo causali cohaerent ejusque habenda sunt proles. Quae videlicet egregie probatur sententia Mezeri (l) qui contendit: „Genaue Beobachtung hat mich gelehrt, daß die Hindernisse, die der Natur bey der Heilung veralterter Geschwüre im Wege stehen, entweder örtlich, oder allgemein sind, das heißt, daß entweder eine bloß topische Ursache, oder eine Unordnung im System als Hin-

(k) Observation. medic. Brunsv. 1648. Centur. III. Obs. II.

(l) Welche Methode ist die beste, veralt. Geschwüre an den untern Gliedmaßen zu heilen? Wien 1792. pag. 18. 19.

„derrnifs auftrete.“ Idem paulo post pergit:  
 „Mir hat die Erfahrung gezeigt, dafs bei der  
 „Gegenwart einer örtlichen Urfache das Ge-  
 „schwür eines im eigentlichen Sinne gefun-  
 „den Körpers schlechten Eiter geben und der  
 „Heilung widerftreben könne, die wieder be-  
 „fördert wird, sobald man das örtliche Hin-  
 „derrnifs im gefchwürhalten Theile hebt. —  
 „Mir hat endlich auch die Erfahrung gelehrt,  
 „dafs man die gefchwürhaften Theile durch  
 „wohlgewählte topifche Mittel auch dann noch  
 „verbessern kann, wenn der allgemeine Zu-  
 „ftand der Säfte eben nicht der beste ift.“ Sed  
 iis etiam in cafibus, in quibus mutationem  
 morbi univerfalis conditio ulceris quodammo-  
 do mutata fequitur, nec iudicium aetiologicum  
 generale, nec methodus medendi topica hanc  
 ob rem insigniter mutetur neceffarium eft.

### §. 23.

Quo plures fimul regiones corporis ulceri-  
 bus longe lateque diffusis obfessae contineuntur,  
 eo certius ulcera haec morbi fecundarii nomén  
 merentur, quibus morbus univerfalis genitor  
 praecessit.

---

## CAPUT IV.

Ulcerum chronicorum  
prognosis.

## §. 24.

Cardo prognoseos princeps profecto circa conditionem nisus formativi versatur. Quodsi nisus iste valde avius, perquam debilitatus, aut omnino fere esset exstinctus; maxima medelae impedimenta oppugnant, aut potius vix unquam salutis aliquid amplius sperandum erit. En rationem, e qua ulcera senum foeminarumque annum quinquagesimum iam transeuntium, quibus, ut catamenia cessantia demonstrant, nisus laudatus insigniter languere incipit, sanationem aut omnino respuunt, aut artis auxilio aegre modo et imperfecte vincuntur. Observationes repetitae, ut ulcera sub menstruorum fluxu recrudescerent (m), minus, ni fallimur, e jactura sanguinis, quae ita insignis non est, quam potius e nisu formativo hac periodo verosimiliter dormientis, nec non e congestione sanguinis versus partem laesam et debilitate irritabili maculatam explicari potest. Sic et ulcera syphilitica chronica, nec non ea, quae in partibus genitalibus oriuntur, eam so-

(m) Eranc k l. c.

Morgagni de sedib. et causis morbor.

Epistol. XXXVI. Art. 17.

Richter l. c. §. 696.

lum ob causam rebellia nobis esse videntur, quoniam organa ista prae ceteris offendunt, in quibus nisus formativus vim suam producentem primitivam, sive vim principalem in sensu strictiori comprehensam exercet. Helicofes e contrario gravidis supervenientia negotio fere semper perquam facili, quin omni artis auxilio expertes sanantur, cum nisus formativus in periodo hac admodum vegetus et efficax apparet et reproductionis munere valide fungitur.

#### §. 25.

In regionibus modice montosis, calidioribus, aëre sicco et puro candidis, medela facilius procedit eaque exoptatior, ac in locis conditione physica adversaria notatis. Quod etiam de domiciliis singulis valet. De vis caloribus liberi et aëris puri salutifera in ulceribus jam supra (§. 20.) locuti sumus.

#### §. 26.

Quo magis partes ulceribus circumjectae foedis sub cute serpentibus et umbonibus morbosis carent, quo major illis cohaesio inest cum vi reagendi normali, quo melior processus evolutionis caloricus liberi in partibus his absolvitur, aut calor saltem artificialis adjuvare potest; eo certius materiae reproductionis fecundantis advectionis et sanationis progressus jure sperantur.

## §. 27.

Sic et secretio et excretio humorum in ulcere paratorum non valde insignis et puris boni conditioni quoad qualitatem sensum sensumque magis accedens, calore modico, colore puro et rubro, soliditateque partium læsarum simul servatis, quin inflammatio modice activa marginibus ulcerum fundoque superveniens, eventum promittit exoptatum.

## §. 28.

Dolor non excedens, sibi semper gradu æqualis, sub motu et contactu magis quam hisce absentibus sensibilis, e sensibilitate majori minorive partibus affectis in statu sano propria judicandus, quippe qui perceptionis et reactionis non valde labefactatae est nuntius, inter signa bona erit collocandus. Dolores autem continui, pungentes, rodentes, somnum et quietem omnem arcentes, sic et pruritus vix tolerabilis, vitia mixtionis chemicae in materia organica majora demonstrant et malae igitur notae habentur.

## §. 29.

Ulcerata, quorum fundus aut margines excrecentiis etsi lardosis, tamen vero consistentia sua solidioribus obiecti sunt, negotio valde faciliori sanantur, quam ea, quae fundo squamoso, pallido, non quidem impuro, humores aqueos et acres exstillante nituntur. In illis

enim nifus formativus vegetior adest, languens idem in his reperitur.

### §. 30.

Sanationem pertinacissime recusant atque quam maxime omnium rebellia sunt ulcera cartilagineum, cum, ut constat, cartilaginee fere nunquam, aut perquam imperfecte reproducentur. Locum hoc respectu alterum ulcera ossium glandularumque occupant. Horum utrumque enim non pus, sed humorem ichorostum foetidum, aut aquoso-glutinofum parat. Ossa tubularia partes carie destructas melius deſciunt et defectum callo materiae ossea ex-  
plent, ac multiformia. Os, quo magis adhuc ad naturam cartilagineae accedit, eventus eo minus exoptatus sperandus est, si carie corripitur, cujus rei exemplum in sterno habemus. Sic et helcoſes, quae prope a tendinibus et ligamentis sedem sibi condiderunt, valde chronice decurrunt et non raro auxilium artis superant. Tela cellulosa, quae partes singulas invicem connectit, si ichoris ope omnino destructa esset, organa ab illa denudata marcescunt, sphacelantur et poſcunt, ut corpora demortua et amplius non utilia refectantur. Facillime omnium ulcera musculis insidentia simplicia et pura medelam admittunt.

### §. 31.

Corpora peregrina speluncis helcoſeos adhuc inhaerentia sanationem aut omni sine condi-

tione denegant, aut locum coadunatum mox cogunt, ut denuo in ulcerationem abeat. Quod saepissime accidit, si assulae ossae vi naturae a corpore ossis depelluntur.

§ 32.

Prognosis ulcerum cum cachexia conjunctorum a gradu et natura morbi universalis neque non a superstitie virium vitae modulo desumenda. Effluxus ichoris quantitate enormis, haemorrhagiae considerabiles saepe supervenientes, extinctus in ulcere et partibus adjacentibus calor, deficiens turgor vitalis harum partium aut conditio sphacelosa, jacturavirium in dies accrescens cum apathia et stupore, febris hectica accedens, ultimum vitae momentum propinquum nuntiant. In universum ulcera complicata diuturniora sunt et magis rebellia; non exceptis iis, quibus nullum cum morbo universali commercium causale esse videtur.

§. 33.

Ver prae ceteris anni temporibus sanationem ulcerum potissimum promovet, quod aëre calido, sicco, oxygenato est insignis; ratione salubritatis hiems sequitur sicca et modice frigida; tunc aestas ordinem suum servat; Autumnus helcosi inimicus est, praecipue aëre nebuloso, frigidiusculo, pluvioso concomitatus.

§. 34.

Ulceribus, quae in subjectis colore badio

gaudentibus occurrunt, breviori tempore et negotio faciliori plerumque medemur, ac in flavis; melius res in viris succedit ac in foeminis non gravidis; infantes nondum quadriennes saepius non sanantur, nisi progressu aetatis. Rationem phaenomenorum horum in eo habebis, ut badii virique flavos, foeminas et infantes teneros vi valide reagendi superent.

§. 35.

Simul modo causa morbi universalis cum helcosi complicate omnino, aut maxima saltem pro parte, adempta sit, e cicatrificatione et sanatione substantiam ulceris deperditam reproducente aeger nulla me Hercule! ratione detrimenti aliquid capiet. Cavendum autem erit, ne sanationem remediis exsiccantibus vi coactam cum illa commutes, quae natura duce et adjutrice lenta, solida perfectaue reproductione absolvitur. Ex eo iam momento, e quo inflammatio medica et granulatio bona accrescens adparet, de successu opiato et de vano malorum succedentium metu convicti esse possumus.

§. 36.

Silentio denique premere non possumus, quod experientia et hac de forma morborum docuit — ut natura videlicet interdum ratione et via nobis abscondita, in tanta rerum angustia opem ferre valeat, in qua, principia secundum rationalia et empirica omnia, arti spes nec

minima amplius affulget.' Quod perquam egregie casu demonstratur singulari quem cl. Balk multis iam abhinc annis in praxi sua expertus est.

Puer triennis, scrophulosus, parentibus natus egestate maxima vitam degentibus, fungo articulorum correptus fuit, qui circa articulationem pedis cum crure versabatur inque ulcus apertum abiit, quod omnia eademque exquisitissima artis medicae et chirurgicae auxilia, per novem et quod excurrit menses adhibita, correcta insuper victus et habitaculi conditione, rebellis adversabatur et in cariem foetidissimam malleoli externi et interni abiit. Cum parentes amputationem prorsus denegarunt, infans miser sorti suae commissus est. Mensibus sex denuo praeterlapsis ulcus omnipotentia naturae perfecte et constanter sanatum erat, etsi aeger victu perquam vili et non conveniente, domicilio humili, frigido, humido, aëre pessimo usus atque pedibus nudatis in luteo platearum per totum fere diem tempestate autumnali aspera moratus erat. Cariei malleolorum natura ita consuluit, ut in anchylosin abire coëgerit.

---